

rum, ut promitto dare, vel solvere in festo S. Remigii. De his itaque dicendum quando, & quomodo obligent.

§. I. De Contractu conditionali.

Conditio vel est de praterito, vel de presenti, vel de futuro. Item vel est necessaria, vel contingens, possibilis, vel impossibilis, honesta, vel turpis, aut indifferens. Quando adimpletur conditio, dicitur purificari, & contractus fieri purus, transitque tunc de conditionato in absolutum. Hoc notato,

Dico 1. Contractus, initus sub conditione de presenti, vel praterito, non suspenditur, sed statim est validus, vel invalidus; ut si dicas: emo vinum, si sit vetus; do tibi 10. aureos, si negotia mea Parisiis perfeceris; duco te, si sis virgo. Quia de facto conditio, a cuius existentia pendet consensus, proindeque validitas, vel invaliditas Contractus, existit, vel non existit; si existat, valet contractus, si non existat, non valet.

Dico 2. Contractus initus sub conditione de futuro necessario, cognitio ut tali, non suspenditur: suspenditur autem, si sit de futuro contingenti honesto, saltem regulariter. Ratio 1. partis est: quia conditio necessario futura censetur moraliter præsens propter certitudinem eventus, nec homo serio agens censetur velle consensus suum pendere a conditione, quam scit necessario, & infallibiliter esse ponendam, unde talis contractus redit in absolutum; idque statuitur L. 9. ff. De Donat. 161. Qui sub conditione stipulatur, quae omnino exitura est, pure videtur stipulari.

Hinc, si dicas: duco te in uxorem, do tibi hunc equum, promitto tibi 10. aureos, si sol cras oriatur, si Pater meus aliquando moriatur, si sit futurum iudicium, &c. valent hi contractus, ut perinde ac si existeret conditio: nisi forte contrahentes exprimerent, se non velle contractum haberi completum, & absolutum, donec conditio re ipsa ponatur. Observandum enim hic semel pro semper, in hac materia validitatis, vel nullitatis contractuum totum negotium pendere a contrahentium voluntate per legem non impedita, cui proinde, dum innotescit, standum est.

Dixi: Cognitio ut tali; quia, si contrahens bona fide crederet conditionem esse contingentem, suspensus esset contractus usque ad illius positionem, cum sic intendat contrahens.

Ratio 2. partis est; quia, cum conditio contingens possit existere, vel non existere, & contrahens velit consensus suum ab ejus existentia pendere, palam est consensus, & consequenter contractum suspendi quousque ponatur, ita ut si ponatur, sit validus, & transeat in absolutum; si non ponatur, nullus. Ex huiusmodi itaque contractu oritur duplex obligatio; una absoluta expectandi eventum conditionis; altera suspensa, & conditionata praestandi, quod promissum est, si purificetur conditio. Hinc inferes, conditionate contrahentem non posse neque licite, neque valide resilire a contractu, sic ut extinguat hanc obligationem conditionatam absque consensu alterius partis. Ideo enim obligatio absoluta non potest ad nutum unius contrahentis extingui, quia habet ortum ab utriusque contrahentis consensu, ex quo alterius jus absolutum acquiritur, quod per rescissionem contractus violaretur; atqui obligatio conditionata habet ortum ab utriusque contrahentis consensu, & alteri acquiritur jus conditionatum, quod pariter violaretur per rescissionem contractus: ergo velit nolit, contrahens conditionate obligatur.

At dices: Si Petrus promittat, aut etiam de facto contrahat matrimonium cum Anna sub conditione, puta, si Pater consentiat, & postea contrahat absolute cum Bertha, valet hoc secundum matrimonium. Item, si vendat equum Paulo sub conditione, puta, si proficiatur in bellum, & postea vendat absolute, atque tradat Joanni; valet haec secunda venditio: ergo contrahens sub conditione potest valide resilire a contractu. R. D. Consequens: ergo potest contrahens sub conditione valide resilire a contractu, sic ut extinguat prior obligatio, N. remanente priori obligatione; C. Igitur, quod hi posteriores contractus absoluti sint validi, non provenit ex hoc, quod contrahens non maneat amplius obstrictus prioribus contractibus; sed ex eo quod, cum per priores contractus conditionatos res non tradatur, contrahens retinet semper ejus dominium, quod ideo valide potest in alium transferre: sicut accidit in eo, qui rem etiam absolute venderet, sed non traderet; posset enim iterum alteri valide vendere, remanente tamen priori obligatione, ita quod si aliquando in dominium rei suae redeat, teneatur priori contractui stare: sic in nostro casu. Unde in exemplo po-

sito matrimonii, vel sponsalium, mortua secunda conjuge tenetur redire ad primam (renovato tamen consensu, qui fuit retractatus) cum obligatio ad illam non fuerit extincta, sed sopita tantum ratione sequentis contractus. Idque magis inde patet, quod, si in secundo contractu absoluto non fieret rei traditio, non obligaret, & omnino subsisteret prior obligatio. Ut si conditionate promittas matrimonium Berthae, & postea promittas absolute Mariae, valet, & obligant prima sponsalia, non secunda. Similiter, si vendas equum conditionate Titio, & absolute Maxio, sed neutri tradas, valet, & obligat prima venditio conditionata, non secunda absoluta; quia nemo obligari potest ad id, quod est illicitum, & alteri injuriosum.

Dixi in conclus. saltem regulariter; quia, si contrahentes vellent (quod rarum est) hinc & nunc valere contractum, modo conditio postea de facto impletur, valet, cum tunc non validitas, sed validitatis notitia tantum penderet a conditionis eventu, ut patet, possetque contrahens ab initio contractus ex re empti, vel data tanquam ex re sua fructus percipere. Dixi insuper de futuro contingenti honesto; quia, si conditio sit turpis, aliter est dicendum: de quo modo.

Dico 3. Contractus, sub conditione futura contingenti initus, purificata conditione fit purus, & absolutus absque novo consensu, si prior non fuerit retractatus. Est communior, & probabilior. Prob. 1. ex Jure L. Potior 11. ff. Qui potiores, dicitur: cum semel conditio exitit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset, & L. Haec venditio ff. De contrahenda empt. dicitur: Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio: ubi nulla fit mentio novi consensu: ergo. Prob. 2. ratione. Tunc perficitur contractus, quando eum perfici volunt contrahentes; atqui contrahentes volunt perfici statim, ac impletur conditio, ut patet ex eorum verbis; non enim dicunt: promittam, dabo, vendam, si; sed promitto, do, vendo, si: ergo, posita conditione, quam requirunt, volunt rem esse promissam, datam, venditam. Confirmatur 1. Si novus consensus requiretur, contractus conditionatus non esset contractus, sed tantum promissio contrahendi, quod nemo admittit: ergo. Confirmatur 2. Consensus virtualis, seu consensus semel datus, & perseverans sufficit ad contrahendum; atqui, dum ponitur conditio, est consensus virtualis, seu consensus primo datus perseverat, supponimus enim non esse retractatum: ergo.

Quidam excipiunt contractum matrimonialem, quia cum sit indissolubilis, existantem requiri ad ipsum plusquam consensusm virtualem; profertur insuper alias rationes, sed maxime auctoritatem D. Th. in 4. d. 29. Q. unica a. 3. q. 3. ubi dicit, quod de consensu conditionato idem sit iudicium, ac de consensu, qui est per verba de futuro, unde non facit matrimonium. Alii volunt, consensus, qui sufficit ad alios contractus, etiam sufficere ad contractum matrimonialem, cum sit par ratio. Auctoritatem autem D. Th. sic explicant: Consensus conditionatus non facit matrimonium, quia pendet a conditione nondum posita. Et idem est iudicium de illo, ac de consensu sponsaliorum, in hoc quod sicut sponsalia pendet a futuro consensu per verba de presenti, ut sit matrimonium ratum, ita matrimonium conditionatum pendet a futura conditione, ut sit matrimonium perfectum, & absolutum. Hac de re fusiis, dum de matrimonio. Interim vide, si lubet, Andream a Matre Dei Tract. 9. de matr. cap. 7. dub. 1.

Dico 4. Contractus sub conditione impossibili, sive de presenti, sive de praterito, sive de futuro, Jure naturae est nullus; sub conditione vero turpi de futuro nullam Jure naturae inducit obligationem, antequam conditio impletur. Prob. 1. Pars. Contrahens sub conditione impossibili, ut do, vendo, promitto hunc equum, si manu lunam tetigeris, si sit mons sine valle, si Adam non sit mortuus, vel scit conditionem esse impossibilem, vel non scit; si sciat, non censetur serio contrahere, sed nugari, cum enim velit suum consensusm pendere ab eo, quod scit esse impossibile, convincitur nullum praeberere consensusm. Si nesciat, erit quidem consensus, & obligatio non ex parte rei, sed ex conscientia erronea, donec sciat, conditionem esse impossibilem, & tunc cessabit omnis obligatio: ergo.

Prob. 2. Pars. Omnis promissio, donatio, alterve contractus sub conditione futura turpi, v. gr. si corporis copiam facias, si occidas inimicum, si sententiam injustam feras, antequam conditio impletur, non obligat promittentem, sive ad dandum promissum, quia non est impleta conditio, sive ad expectandum eventum conditionis, quia

quia debet non poni; neque promissarium, cui imponitur conditio, quia implicat aliquem obligari ad peccatum, quod vitare tenetur: ergo.

Confirmatur: Talis tractus, antequam impletur conditio, per se illicitus, & ordinatur ad peccatum: ergo, antequam conditio impletur, nullam inducit obligationem. Conditio turpis dicitur etiam Jure impossibilis; quia statim Jure & eo involatari non potest. Dixi 1. pro 2. parte: Antequam ponatur conditio; quia, utrum posita conditione talis contractus obliget ad dandum promissum, ventilabimus infra. Dixi 2. Sub conditione futura turpi quia conditio turpis praesens, aut praterita, ut si heri furatus fueris, non irritat contractum, quia non inducit ad peccatum.

Dixi 3. pro utraque parte: Jure naturae; quia Jure positivo in Matrimonio & Testamentis conditiones impossibiles, aut turpes, quae non repugnant substantiae Matrimonii, habentur pro non adjectis, nec irritant contractum. Ita pro Matrimonio statuit Gregorius IX. cap. finali. De condit. appositis l. 4. tit. 3. his verbis: *Conditiones impossibiles & turpes, Contractui Matrimonii adjectas, debent propter ejus favorem pro non adjectis haberi, ac proinde non irritant Contractum, exceptis iis, quae sunt contra substantiam conjugii.* Pro testamentis vero habetur L. 1. 4. 6. 8. 9. ff. De conditionibus, Institutionem l. 28. tit. 7. & 5. Impossibilibus 10. Inst. De hered. instituendis l. 2. tit. 14. Idem dicendum de legatis & fideicommissis, Ibid.

Sed difficultas est, cur & qua ratione contractus, defectu consensus & Jure naturae invalidi, possint fieri Jure positivo validi? Quantum ad testamentum non multum urget difficultas; quia Respublica ex alto dominio, quod habet in bona Civium, potest ob justas causas supplere eorum consensus, & bona ab uno in alterum transferre. Verum haec ratio non currit pro matrimonio. Respublica enim non potest disporre de corporibus humanis ad Matrimonium, sicut de bonis fortunae; quia homo est absolute liber quantum ad Matrimonium: unde Doctores communiter interpretantur haec Jura secundum praesumptionem fori externi, quatenus forum externum praesunt in favorem Matrimonii contrahentes non adjectis conditionem ut suspensivam, sed ut modalem tantum: modus autem non irritat contractum, ut dicam modo: vel si adjectum ut suspensivam, non adjectis serio, nec voluisse suum consensusm a re impossibili, aut turpi, quae nunquam esset ponenda, pendere. Ceterum, si serio voluerint conditionem esse suspensivam, tunc praesumptionem cedere veritati, & irritum esse tale Matrimonium in foro interno propter defectum consensus, quem Jus supplere non potest, sicut supplet circa bona fortunae.

Excipit autem Pontifex in suo decreto conditiones repugnantes substantiae Matrimonii; & ideo, si dicas: contraho tecum, si generationem impediatis, quod est contra bonum prolis; vel si non inveniam dignitorem, quod est contra bonum Sacramenti; vel si pro quatuor te adulterandum tradas, quod est contra bonum fidei: haec conditiones habentur pro adjectis, & irritant Matrimonium in utroque foro. Quae dixi de Matrimonio, Theologi satis communiter intelligunt de sponsalibus; quia sunt via ad Matrimonium: imò quidam extendunt ad Matrimonium spirituale, scilicet Professionem Religiosam.

Sed petes, quid sit conditio turpis? R. Conditio turpis ea censetur 1. quae continet peccatum. 2. Quae nihil boni continet, & aliquid aliud bonum impedit. 3. Quae, licet speciem boni praeferat, tamen in Jure rejicitur ut turpis; & haec duo ultima in praxi discernere est aliquando difficile. Olim apud Ethnicos haec conditio: *Si non nubas*, habebatur pro turpi, & non adjecta, L. Titie 100. ff. De condit. & demonstr. l. 35. tit. 1. Quia apud Ethnicos Matrimonium erat utile multiplicandae Republicae, & ejus omnisio nullum bonum continebat. Nunc vero Jure recentiorum Codicis, Authent. Cui relicta C. De indicta viduitate l. 6. tit. 4. haec conditio habetur pro turpi & non adjecta tantum pro primis nuptiis, pro secundis autem habet vim, ita ut si secundo nubas, priveris legato sub conditione non nubendi tibi facto. Porro, si conditio excludens Matrimonium rejiciatur a Jure ut turpis; a fortiori rejicienda est ut turpis conditio excludens directè tantum perfectionem, nempe: *Si non fias Religiosus, aut Sacerdos.*

Si vero dicas: *Si nubas*: Haec conditio non videtur rejicienda ut turpis; quia per se & directè illicitus ad statum honestum, licet per accidens excludat perfectionem: allicere autem per se ad statum honestum non habetur turpe in Jure. Nihilominus, si quis dicat: *Lego tibi 100. si nubas*, nihil addendo de Religione, consequeris legatum, etiamsi

fias Religiosus, ut aperte statuitur Novella 123. *De sanctis Episcopis*, c. 37. collat. 9. tit. 6. non quia haec conditio habetur pro turpi & non adjecta; sed quia, cum testator nihil dixerit de Religione, censetur de illa non cogitasse, & proinde noluisse eam excludere. Imò, si dicat testator: *Lego tibi 200. si nubas, & 100. si fias Religiosus*, communiter tenent Interpretes te, quamvis fias Religiosus, habere jus ad 200. quia, inquit, Novella cit. intendit favore pietati & Religioni independentem a testatoris voluntate: sicut antiquum Jus volebat favore matrimonio etiam contra mentem testatoris.

§. II. De ceteris Contractibus qualificatis.

Dico 1. Contractus proprie modalis non suspenditur quousque impletur modus, sed statim obligat; neque revocatur, si non servetur modus.

Ratio est; quia modus est gravamen adjectum contractui absoluto & substantialiter completo, ad quem se habet ut accessorium ad principale. Si enim modus ingrederetur contractum ut motivum primum & principale, jam non foret contractus proprie modalis, sed contractus purus, aut saltem desineret, in conditionalem, quatenus contrahens censetur limitare consensusm suum ad id, quod primum & principaliter intendit; atqui prius non dependet a posteriori, nec principale ab accessorio: ergo contractus proprie modalis non suspenditur, quousque impletur modus; nec corrumpitur, si non impletur modus. Obligatur tamen stricto Jure, sive promissarius, sive donatarius, aut legatarius, sive quicumque contrahens, qui ab altero contrahente aliquid sub modo accepit, servare modum: & si non servet, tenetur restituere quantum interest modum non servari; atque ad eum servandum potest cogi a Jure, & re accepta privari, si non servet. Hinc si des eleemosynam pauperi in sublevamen ejus miseris, & adicias, ut recitet Rosarium pro te, pauper statim acquirit dominium eleemosynae, & quamvis non recitet Rosarium, non tenetur eleemosynam restituere; secus, si primario & principaliter intenderes recitationem Rosarii. Quandoque autem modus est contrahenti motivum primum, aut secundarium, si non exprimat venandum est ex circumstantiis secundum iudicium viri prudentis idque saepe in praxi est ambiguum.

Ceterum in favorem causarum piarum sanctum est in Jure, ut donatio facta Ecclesiae sub modo sit, proprie modalis, & revocari non possit a donatore, si non servatur modus, nisi id in donatione fuerit expressum: v. gr. legas Ecclesiae praedium, ut celebretur quotannis anniversarium, non exprimes, quod non celebrato anniversario legatum debeat revocari: quamvis Ecclesia omittat celebrare anniversarium, stat legatum, nec tenetur illud restituere. Ita cap. Verum, de condit. apposit. Extra. l. 4. tit. 5. his verbis: *Verum, cum alicui Ecclesiae possessio quolibet interposita conditione donatore donum postea revocari non potest, nisi forte talis sit conditio collatum, quod ea cessante debeat revocari.* Ratio est; quia, quae donantur in causas pias, censentur donata primario & principaliter propter Deum & animae salutem, in remissionem peccatorum, in cultum Ecclesiae, & Ministrorum sustentationem, ita ut onus anniversarii adjectum sit tantum secundarium & minus principale motivum, a quo consequenter non pendet neque limitatur consensus subsistente primario & principali, propter quod fuit datus, nisi aliter exprimat. Et inde fit, quod istae secundariae obligationes auctoritate Episcopi, aut Summi Pontificis saepe minuantur, aut tollantur. Manet tamen Ecclesiae, seu Monasterio, ut jam observavi, stricta iustitiae obligatio satisfaciendi oneri, seu modo, vel praestandi astimationem ejus, quod interest modum non servari; ad idque compelli potest per Judicem, & fundatione privari, si non satisfaciatur.

Dico 2. Contractus causalis nullus est, si causa primaria & principalis, ob quam initur, non subsistit; validus est, si causa secundaria & minus principalis non subsistit, subsistente primaria. Quia in 1. casu excluditur consensus, in secundo non excluditur. Unde, qui dat eleemosynam pauperi, v. gr. quia pauper est, non subsistit donatio, si non sit pauper; quia paupertas censetur causa primaria & principalis, cur dat eleemosynam: qui vero dat eleemosynam pauperi, quia pius est, valet donatio, etiamsi non sit pius; quia pietas censetur tantum causa secundaria & minus principalis, ob quam dat eleemosynam. Intellige semper, nisi aliter intendat donator. Confer pro hac & praeced. conclusione, quae dixi supra art. 3. de contractu ex errore, praesertim conclusione 2.

Dico 3. Si error in demonstratione versatur circa rei substantiam, irritat contractum; si versetur tantum circa accidentia, non irritat. Patet ex dictis de contractu ex errore. Hinc, si dicas: lego Titio 100. aureos, quos mihi debet Caius; aut qui sunt in tali cista, & Caius nihil debeat, aut nulli sint nummi in cista demonstrata, nihil debetur Titio; si Caius debeat 50. aut sint 50. in cista, debentur Titio 50. primus enim error est circa substantiam, secundus circa accidentia, nempe circa quantitatem.

Sed quid, si in cista demonstrata reperiantur 200. nummi, debenturne omnes 200. Titio? R. Sub distinctione. Si dispositio incipiat a numero, ut si dicas, lego Titio 100. aureos, qui sunt in tali cista, non debentur Titio nisi 100. quia, dum dispositio incipit a numero, vel mensura, legans, seu donans censetur taxasse summam. Si vero dispositio incipiat a re ipsa, ut si dicas: lego Titio pecunias, quæ sunt in tali cista, & hæc constat 100. nummis, debetur Titio totum, quod est in cista; quia isto loquendi modo non censetur legans taxasse summam, sed demonstrasse tantum. Ita communiter Auctores, salva tamen semper contraria intentione donantis.

Dico 4. Contractus ad diem certum, hoc est, certo futurum, sive certum sit, quando sit futurus, ut Pascha, sive incertum sit quando sit futurus, ut dies mortis, modo sit, certo futurum, parit obligationem statim, sed non pro statim; quia promittens non tenetur solvere ante finem temporis designati, & si promissarius petat, exceptione repellitur. *L. Eum, qui Kalendis §. Quoties ff. de verb. obligat.* quia adjectio temporis est in gratiam debitoris. Si vero promissio sit ad incertum diem, id est, non certo futurum, ut dabo tibi tot, quando consequar Beneficium, quando naves appellent ex India, non statim parit obligationem absolutam, sed conditionalem tantum & suspensam usque ad eventum; quia talis contractus resolvitur in conditionalem de futuro contingenti, perinde est enim, ac si diceres: dabo tibi tot, si consequar Beneficium, si naves appulerint ex India. *L. Stipulatio ista §. inter certam ff. de verb. obligat.* & alibi. Excipio, nisi dies incertus adijciatur promissioni in gratiam solius promissarii, ut si servo propter obsequia præstita promittas centum, quando nubet, ne prius accepta malè expendat. Hæc promissio statim obligationem parit, & si antequam nubat, moriatur, aut fiat Religiosus, actio ejus transit ad hæredes, vel ad Monasterium.

Promissio, aliisque contractus, in quo tempus non designatur, obligat statim. *L. Eum, qui Kalendis cit. & Reg. 14. ff. de R. Juris l. 50. tit. 17. 161.* In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentie die debetur. *Ly. statim tamen non excludit moram aliquorum dierum ad arbitrium boni viri, ut debitor commode solvere possit, imò plerumque expectare potest, donec creditor petat. Quando verò dies nudè designatur, ut Pascha, Festum S. Martini, intelligitur proximum, L. Eum, qui Kalendis cit.*

ARTICULUS VIII.

Utrum Contractus sub conditione futuri operis turpis, purificata conditione valeant & obligent?

Diximus supra, hujusmodi contractus ante conditionem positionem nullam obligationem absolutam parere, neque ex parte promissarii, qui ad illicitam obligari non potest, neque ex parte promissoris, qui non obligatur, vel expectare eventum conditionis, cum debeat non poni, vel adimplere promissum, cum conditio nondum sit posita; sed utramque teneri a contractu resilire, promissarium quidem, quia conditionem non potest licite adimplere; promittentem verò, quia ejus promissio ordinatur & inducit ad peccatum. Hæc patent ex dictis.

Quæstio est igitur, utrum purificata conditione turpi stet contractus, proindeque promittens teneatur dare rem pactam, seu promissam, & promissarius possit eam accipere & acceptam retinere? Quidam generaliter negant, hujusmodi contractus valere, ita quod promittens purificata conditione non teneatur rem promissam dare, & promissarius non possit accipere, nec acceptam retinere, sed teneatur restituere. Ita Joannes Medina, quem sequuntur Henricus a S. Ignatio, Vanroy, & pauci recentiores, Quidam censent non valere, si conditio repugnet Justitiæ; valere, si repugnet alteri virtuti. Ita Soto, quem sequitur Daëlmann, Alii dicunt non valere, si conditio sit de opere, quod punitur Legibus; valere, si sit de opere, quod non punitur Legibus, Contra quos omnes

Dico 1. Contractus sub conditione operis turpis, sive re-

pugnantis Justitiæ, sive alteri virtuti, sive puniendi per Leges, sive non, purificata conditione Jure naturæ obligat, sic ut promittens teneatur dare rem promissam, & promissarius possit eam accipere & acceptam retinere, nec teneatur restituere. Ita Sylvius Q. 32. a. 7. Conclus. 3. citans Bannem, Valentiam, Azor, Tolet. & alios. Pro eadem Sententia citatur S. Antonin. 2. p. tit. 2. c. 5. Sylvester v. Restit. 2. & v. Eleemosyna q. 4. S. Bonaventura, Richardus, Durandus, Covarruvias, & alii. Imò ipse Henricus a S. Ignatio, quamvis huic sententiæ contrarius, fatetur tamen esse communionem.

Prob. 1. ex Jure L. 4. ff. De conditione ob turpem causam l. 12. tit. 5. ibi. *Quod meretrici datur repeti non potest... licet enim turpiter faciat, quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix.* L. 6. ibid. *Si datus & accipiens turpis causa sit, possessorem potius esse, & idè repetitionem cessare.* L. 3. ibid. *ubi autem datus & accipiens turpitudine versatur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia deur, ut male judicatur.* L. Cum te 2. C. tit. eod. & L. Mercalem §. ibid. *Mercalem te habuisse uxorem proponit, unde intelligis & confessionem lenocinii locum non esse: quamvis enim utriusque turpitudine versatur, & soluta quantitas cessat repetitio, tamen ex hujusmodi stipulatione, contra bonos mores interposita, denegandas esse actiones Juri auctoritate demonstratur:* ergo

Prob. 2. auctoritate & principis D. Th. S. Doctor supra q. 32. a. 7. o. quærens, utrum de illicitè acquisitis possit fieri eleemosyna, dicit aliquid posse esse illicitè acquisitum tripliciter: uno modo, quando id, quod acquiritur debetur ei, a quo acquiritur, sicut contingit in rapina, furto, & usura. 2. modo, quando datus & acceptio est contra Justitiam, seu Legem; quia nempe lex prohibet dari & accipi, ut contingit in simonia; & de illicitè acquisitis hoc duplici modo non potest fieri eleemosyna. Deinde subjungit: 3. *Modo est aliquid illicitè acquisitum; non quidem quia ipsa acquisitio sit illicita, sed quia id, ex quo acquiritur, est illicitum, sicut patet de eo, quod mulier acquirit per meretricium. Et hoc proprie vocatur turpe lucrum: quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit & contra legem Dei; sed in eo quod accipit, non iniuste agit, nec contra legem, unde quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosyna fieri.* Idem docet q. 62. a. 5. ad 2. & q. 87. a. 2. ad 2. ubi ponit exemplum, non solum in meretricio, sed in histrionatu, & aliis hujusmodi. Adhuc clarius in 4. d. 15. q. 2. a. 4. q. 2. *Si lex prohibuit actum, ex quo quis lucratur, sed non lucrum supposito actu; tunc, quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo non facit contra legem, sicut quis de lenocinio, vel meretricio lucratur, & idè hæc retineri possunt, & de iis eleemosyna fieri potest.* Rursùm ibid. quæstione. 4. *Quando lucrum ipsum est lege prohibuit, ut rapina, usura, & simonia, non solum dicitur turpe lucrum, sed iniquum; & de hoc dicitur est, qualiter eleemosyna fieri possit, vel non possit: sed, quando actus, quo quis lucratur est, lege prohibuit, non autem ipsum lucrum, tunc vocatur turpe lucrum, sicut est in meretricio & similibus; & tunc de tali eleemosyna fieri potest, quia non tenetur ad restitutionem.* Quid expressius?

Hos D. Thomæ textus placuit referre, quia ipsum, vel invitum in suas partes contorquere nituntur adversarii. Habes ergo constantem ubique S. Doctoris doctrinam, & eodem semper principio nitam; nimirum lucrum ex actu turpi, seu prohibito non esse injustum & invalidum, nisi aliandè prohibeatur; & bene implicat enim lucrum nulla lege prohibuit esse injustum. Probandum ergo incumbit adversariis, hujusmodi lucrum prohiberi lege naturali, de qua procedit conclusio. Interim contra ipsos agnoscit S. Th. non prohiberi in Meretricio, Lenocinio, Histrionatu, & similibus. Porro eadem est ratio de aliis operibus turpibus, sive repugnent Justitiæ, sive alteri virtuti, sive puniantur per leges, sive non; modo non sint rapina, furtum, usura, aut simonia, ut modo probabimus.

Ad hæc, tum legum, cum D. Thomæ, testimonia respondent opposite sententiæ Patroni; meretricem posse retinere pretium meretricii, non vi promissionis, aut donationis, sed ex dono Reipublicæ, quæ in penam flagitiosè promittentis rei donatæ transfertur dominium, & meretrici permissit retinere ad vitanda majora mala. Sed contra 1. Neque leges, neque S. Th. resolutionem suam fundant in dispositione Reipublicæ, aut Juri positivi, sed in ipsa rei natura, nempe: *quia licet meretrix turpiter agat, quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix.* 2. Jura id decernunt, non solum de meretricio, sed genera-

ralitèr de quocumque opere turpi, etiã de injusto judicio: S. Thomas resolvit, non solum de meretricio, sed de lenocinio, histrionatu, & similibus. Insuper S. Thom. in 4. d. 33. q. 1. a. 3. q. 2. ad 1. docet, quod Judas injuriam fecisset Thamar, si mercedem promissam non solvisset his verbis: *Judas mendacium vitavit, fornicationem non vitans: quamvis illud mendacium perniciosum fuisset, injuriam habens amexam, si promissum non reddidisset:* ergo vi promissionis tenebatur.

Prob. 3. ratione. Si contractus sub conditione turpi purificata conditione esset Jure nature nullus, nec obligaret, idè esset, quia lucrum ex actu turpi est Jure nature prohibuit & injustum; falsum consequens: ergo & antecedens. Major est certa; prob. Minor. Si lucrum ex actu turpi esset Jure nature prohibuit & injustum, idè esset, quia actus turpis non est vendibilis, utpotè, non pretio, sed æterno supplicio dignus; atqui hæc ratio nulla est: ergo. Major est fundamentum adversariorum, & patet, quia lucrum ex opere turpi non fit invito domino, sicut in rapina, furto, & usura, unde non potest esse Jure nature prohibuit, nisi quia res, seu opus turpe non est vendibile, ut in simonia. Prob. Minor: licet opus turpe ratione culpe & formalitèr, ut peccatum est, non sit pretio æstimabile, nec vendibile, attamen materialitèr sumptum prout est actio humana, utilis uni, alteri vero laboriosa & periculosa, potest pretio æstimari & vendi, non secus ac cæteræ actiones humane, quæ ad usus humanos accommodantur, & humane vite sunt conducibiles, v. gr. homicidium, quatenus est formalitèr injusta hominis occisio, nullatenus est pretio, sed supplicio dignum; at, quatenus est utile promittenti, puta, quia ipsum liberat ab inimico persequente, & est laboriosum & periculosum promissario, potest pretio æstimari, & sic de cæteris: ergo.

Confirmatur ab exemplis: Qui promittit puellæ matrimonio sub conditione copulæ, hæc conditione turpi impleta, tenetur secundum omnia Jura illam ducere: ergo similiter, qui illi promittit pecuniam sub eadem conditione copulæ, ea conditione impleta, tenetur pecuniam dare.

Respondent adversarii, primum teneri ducere puellam, non vi promissionis, sed in penam deceptionis, & ad compensanda damna, quæ inde puellæ sequuntur. Sed contra: si sine promissione matrimonii metu, vel fraude copulæ extorsisset, esset paritèr deceptio, & eadem damna sequerentur, & tamen non teneretur ducere, sed sufficeret dote, vel compensare, donec damna sequuta repararentur: ergo, quòd in primo casu teneretur ducere, non est in penam deceptionis, neque ad compensanda damna, sed vi promissionis.

Item, juxta communem hominum sensum, qui promittit mercedem operanti servilitèr die festo, tenetur solvere, & operarius potest retinere. Si dicas, hoc pactum respicere opus, non ipsam circumstantiam festi, opus autem esse pretio æstimabile. R. pactum respicere opus non in abstracto, sed in individuo; in individuo autem habet annexam hæc circumstantiam; & si non obstante hæc circumstantia possit vendi, paritèr vendi potest quodvis aliud opus pecaminosum materialitèr consideratum, non obstante malitia annexa.

Urge: Qui promittit fabro mercedem, si conficiat arma ad duellum, vel qui conducit militem ad bellum injustum, tenetur & pretium fabro & militi stipendium dare, & tam faber, quam miles possunt retinere. Ita inquam fert communis hominum sensus; nec ullus ad hæc usque tempora coegit fabrum, aut militem, nisi ad restituenda damna sequuta, nunquam verò operis pretium, aut militiæ stipendium: ergo.

Prob. 4. Opus turpe, vel est alicujus valoris, vel nullius; si primum, potest appetriari & esse materia contractus onerosi: si secundum, promissio, vel donatio sub illius conditione erit liberalis & gratuita; qui enim promittit, aut dat sub conditione, quæ nullius est valoris, censetur liberalitèr dare, seu promittere: sic, qui promitteret mille aureos puellæ pro osculo, aut amico pro haustu vini, censetur liberalitèr promittere. Sed quomodo liberalis, inquit, si sub conditione onerosa? Ita sanè liberalis non absolutè & simpliciter, sed sub conditione, quæ promissioni adjicitur, non ut pro illa detur pretium, sed ut ab ea suspendatur consensus & obligatio. Sic in exemplo posito: qui promittit mille aureos amico, si sumat haustum vini, apponit hæc conditionem, non ut pro illa det mille aureos tanquam pretium, sed ut ab ea suspendat consensus & obligationem dandi mille aureos, quò non obstante remanet promissio liberalis: ergo.

Dico 2. Probabilis nobis est, præfatos contractus, quos

diximus purificata conditione valere Jure naturali, non irritari Jure positivo quoad forum conscientie, seu quoad obligationem naturalem, quam inducunt, sed tantum quoad actionem fori externi. Pro hæc conclusione citantur ferè omnes, quos laudavimus pro 1. conclusione. Prob. Quia sic Jura apparentèr contraria conciliantur. Etenim ex una parte Jura citata pro 1. conclusione clamant datum ob turpem causam, non solum meretricium, ut quidam volunt, sed etiã injustum judicium, & generalitèr, ut videre est in Juribus laudatis, non posse repeti, & possessorem posse retinere. Ex altera parte clamant: generalitèr turpes stipulationes esse nullius momenti. *L. 26. ff. de verb. oblig. Flagitii faciendi, vel facti causa conceptam stipulationem ab initio non valere.* L. 125. ibid. *Pacta, quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores sunt, nullam vim habere.* L. Pacti C. de pactis. *Pactum turpe vel rei turpis, aut impossibile de jure vel de facto, nullam obligationem inducere.* Cap. Pactiones, Extra. de pactis. Igitur, ut hæc Jura conciliantur, dicendum existimamus, quòd priora Jura astruant obligationem naturalem, quam hi contractus pariunt opere completo: posteriora verò decernant nullam parere obligationem antè opus impletum, & eo impleto decernari actionem in foro externo ad obtinendum pretium pactum. Idque inde magis evincitur, quòd hæc posteriora Jura non declarent acquisitionem hujusmodi lucri irritam, nec faciant accipientem inhabilem ad comparandum rei acceptæ dominium; sicque videntur tantum decernere, quòd hæc pacta antè conditionem impletam sint invalida, & ea completa, non pariant obligationem civilem.

Confirmatur. Leges civiles sic intelligendæ sunt, ut quantum fieri potest, non derogent dispositioni Juris naturalis; atqui præfate leges possunt absque ullo incommodo intelligi, & de facto intelliguntur a pluribus & insignibus Auctoribus, sicut, intacta obligatione naturali, denegent dumtaxat obligationem civilem, seu actionem in foro externo: ergo. Verùm ut quid quasi palpando veritatem inquirimus? cum eam aperte declaratum habeamus in ipso Jure, scilicet *L. Mercalem* cit. in ea enim habemus & solutam mercedem operis turpis non posse repeti, proindeque valide esse acquisitam, & tamen ad eam obtinendam non dari actionem. Vide.

Quidam excipiunt militem, cui conceditur repetere, quòd dedit concubine. *L. 2. C. de donat. inter virum & uxorem.* & meretricem, cui conceditur actio ad exigendum pactum pretium, ut probant Auctores. Verùm, quantum ad militem probabilis fortè alii existimant hoc privilegium illi concedi, non pro pretio moderato copulæ, sed pro excessivo fictis verbis & blanditiis extorto, idque erunt ex his verbis Legis: *Milites tamen meos a focariis suis hac ratione fictisque adulationibus expoliari, nolo.*

Solentur Objectiones.

Obijces 1. contra rationem fundamentalem 1. conclusionis. Quamvis in opere turpi, seu peccato materialitèr considerato sint quædam pretia æstimabilia, hæc tamen plerumquè sunt intrinseca peccato; atqui, quòd est intrinsecum peccato, vendi non potest, si ipsum peccatum vendi non possit: ergo. Prob. Min. Labor intrinsecus administrationi Sacramentorum vendi non potest, quia ipsa Sacramentorum administratio utpotè res sacra vendi non potest, ut dicitur dum de Simonia: ergo similiter. R. N. Minorem. Ad prob. N. Conseq. Accipe disparitatem. Res sacra non idè dicitur invendibilis, quia est nullius valoris, sed quia est summi valoris & supra omne pretium temporale. E contra peccatum dicitur invendibile, non quia est summi valoris, sed quia est nullius valoris & infra omne pretium; est enim nihil.

Ex hæc distinctione sequitur, quòd in aggregato ex res sacra & labore intrinseco res sacra sit principale, & consequenter labor illi intrinsecus sequatur ejus naturam, sublimetur, & quodam modo, ut ita dicam, spiritualizetur. Undè, si hoc aggregatum pretio temporali æstimetur & vendatur, censetur ipsa res spiritualis pretio æstimari & vendi, quia, qui aliquod aggregatum pretio æstimari & vendi, censetur pretio æstimare & emere id, quod in eo est principale, ex quo rei sacre fit injuria, neque solum rei sacre, sed etiã quodammodo ipsi labori intrinseco, quatenus a statu sublimitatis & quasi spiritualitatis, quam habet ex intrinseca conjunctione cum re spirituali, deficitur & reductur ad lineam purè temporalium. At verò in aggregato ex peccato & intrinseco æstimabilibus peccatum, cum sit nullius valoris & nihil, non est principi-

pale, sed ipsa intrinseca aestimabilia sunt principale, & ideo non sequuntur naturam peccati, nec perdunt suam aestimabilitatem ex conjunctione ad ipsum; consequenter qui dat aliquid pro illo aggregato, non censetur dare pro peccato, quod nullius est valoris, sed pro intrinsecis aestimabilibus, quibus idcirco nulla fit injuria.

Obj. 2. Contractus illi ante operis impletionem sunt nulli: ergo etiam opere completo sunt nulli, sique, quæ vi illorum recipiuntur, sunt restituenda. Patet consequenter ex Reg. Juris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit*: Ita Franciscus Henno. R. D. Ant. Contractus illi ante operis impletionem sunt nulli ex aliqua parte, C. ex omni parte, N. Dicimus itaque hos contractus ab initio non esse ex toto nullos, sed aliqua parte esse validos, non absolute, sed conditionate & ex suppositione, quod compars ante promissionis rescissionem conditionem impleverit. Sic v. gr. quavis promissio mercedis facta puellæ sub conditione copulæ ante copulam nullam absolute obligationem inducat ex tunc pro tunc; atamen ex tunc pro tempore sequenti copulam inducit obligationem solvendi rem promissam, quam proinde puella, posito opere, potest recipere & retinere; cum neque datio hæc, neque acceptio sit Lege prohibita.

Inst. 1. Talis promissio allicit ad peccatum: ergo est invalida. R. 1. N. Conseq. Ex antecedente enim sequitur tantum, quod sit illicita; non autem omne, quod est illicitum, est invalidum. Sic, qui dat pecuniam luxurioso, quem scit ea abuturum ad scortationes, illicitè dat, non tamen invalidè. Unde hæc Regula Juris: *Multa facta tenent, quæ tamen faciendæ prohibentur*. Cæterum non diffiteor, hujusmodi promissionem, quæ parte allicit ad peccatum, esse invalidam. Unde R. 2. D. Consequens: ergo est invalida ex tunc pro tunc, C. Ex tunc pro tempore sequenti conditionem. N. Quia tunc non amplius agitur de peccato patrandò. Patet ex solutione 1. instantiæ.

Inst. 2. Promittens tenetur resilire a tali promissione: ergo ab initio est invalida. R. 1. D. Consequens, ut antè. 2. N. Conseq. quia hic non attenditur, quid debuit fieri, sed quid factum sit.

Inst. 3. Juxta Reg. 69. Juris in 6. in malis promissis fidem non expedit servare: ergo. R. Sensus Regule esse, quod fides non sit servanda, quando servari non potest absque peccato. In nostro autem casu, quando posita est conditio, potest servari fides absque peccato, imò & cum detestatione peccati.

Inst. 4. Datio & acceptio ante opus sunt invalidæ: ergo post opus. R. Dissimulato Ant. N. Conseq. Disparitas est, quod ante opus dare, sit obligare, aut saltem inducere ad peccatum, accipere sit spondere peccatum, & utrumque consequenter cum consensu in peccatum. At post opus neque dare inducit ad peccatum, neque accipere spondet peccatum, & utrumque potest esse sine complacentia, imò cum detestatione peccati, si fiat præcise vel ratione fidei datæ, vel sumptus, aut laboris, periculive suscepti.

Inst. 5. Juxta S. Th. 62. a. 5. ad 2. quando datio & acceptio sunt contra Legem, contractus est nullus; atqui datio & acceptio ex causa turpi, etiam post opus, sunt contra Legem, ut patet ex Legibus cit. in 2. Conclusio: ergo. R. N. minorem tunc juxta rei veritatem, tunc juxta sensum D. Th. juxta rei veritatem; quia, licet Leges decernant hos contractus non obligare ante positionem conditionis, & ea posita non dare actionem in foro externo, non tamen prohibent donationem & acceptionem ut invalidam opere completo: patet ex dictis. Juxta sensum D. Th. quia, cum ille Leges sint generales, non minus respiciunt meretricium, lenocinium, histrionatum, & similia, quam alia opera turpia, & tamen S. Doctor q. 32. a. 7. o. disertè assertit, eas non prohibere dationem & acceptionem ex meretricio, lenocinio, histrionatu, & similibus, quod mulier, inquit, meretricium exerceat, turpiter agit & contra Legem Dei, sed in eo quod accipit, non injuste agit, nec contra Legem. Unde in 4. loc. cit. vocat lucrum Lege prohibendum, iniquum lucrum. Lucrum autem ex meretricio, & similibus, turpe lucrum, duntaxat.

Si petas, in quibus ergo lucrum est prohibitum? Respondet tibi S. Doctor in rapina, furto, usura, & simonia. In rapina quidem, furto, & usura, quia accipitur alienum invito domino: in simonia, quia res non est vendibilis. In his inquam & similibus, si quæ sint, lucrum est prohibitum & iniquum: in aliis autem operibus turpibus lucrum non acquiritur invito domino, & habetur aliquid vendibile, ut ostensum est; aut, si secus, valebit contractus ut gratuitus, sicut etiam probavimus.

Inst. 6. cap. *Cum sit* 10. tit. de Judicis. Judex cogitur

erogare pauperibus Christianis, quod lucratus est ex officio, quod inter Christianos habere non debuit: ergo. R. 1. Capitula tituli de Judicis esse poenalia, ideoque non obligare ante Sententiam Judicis. 2. Hoc statum est speciale, nec extenditur ad omnes: dicitur enim in fine, *extendendum esse ad Paganos*, quod non fuisset exprimendum, si ad omnes extenderetur.

Obj. 3. Illi contractus, utpotè onerosi, debent tam promissarium, quam promittentem obligare; aliàs, si solum promittentem obligarent, essent gratuiti; atqui non obligant promissarium, cum nemo possit obligari ad peccandum: ergo nec obligant promittentem, & consequenter ex omni parte sunt nulli. Ita P. Henno. R. 1. Hos contractus posse valere ut gratuitos, sicut probavimus suprâ. R. 2. Contractum dici onerosum, non solum ex quo utrumque sequitur obligatio, sed etiam in quo utrumque aliquid datur per modum mercis & pretii, etiamsi non sit utrumque obligatio: v. gr. dum dico: dabo tot laborantibus in vinea mea; operari non obligantur ad laborandum, & tamen, si laborent, obligor ad dandum pretium promissum; & est contractus onerosus, quia ex una parte datur aliquid per modum mercis, & ex altera rependitur per modum pretii. In contractibus autem gratuita nihil rependitur pro dato, sed totum lucrum est ex una parte, ut in donatione gratuita.

Obj. 4. Puella non habet dominium sui corporis: ergo pro illius usu non potest aliquid recipere. R. N. consequenter, licet non habeat dominium sui corporis, habet tamen illius usum, quem ad varia locare potest, & pro illo aliquid recipere. Si dicas, non posse locare nisi ad illicita. R. Peccare quidem, si locet ad illicita; sed, posito illicito, non est illicitum accipere mercedem.

Inst. Saltem conjugata habet usum corporis obstrictum marito. Ita quidem: sed habet dominium actionis suæ liberæ, pro qua ut alteri commoda, aut sibi laboriosa potest aliquid recipere.

Repones: Quid indignus Christiano Theologo, quam turpissimas voluntates & sceleratissimos actus pretio aestimare, & utiles illis appellare, quos æterno dignos supplicio efficiunt? Ita recentiores quidam. R. Doctissimos ac verè Christianos Theologos Soto, Sylvium, & plures alios docuisse voluptatem carnalem in fornicatione, non ut turpem & rebellem, sed ut satisfactionem sensuum, qualis est in matrimonio, posse pretio aestimari: quapropter in tantorum virorum reverentiam ab acriori censura debent abstinere juniores, qui hæc obijciunt. Cæterum ad nostræ Sententiæ defensionem non est necesse adstruere delectationem carnalem, quovis modo sumptam, esse pretio aestimabilem; sufficit, quod mulier in eo actu periculum subeat infamiae, sterilitatis, morbi veneri, ineptitudinis ad matrimonium, laboremque exerceat in gratiam fornicatoris; hæc enim pretio aestimari possunt. Unde ad argumentum distinguo ant. Indignum est Christiano Theologo turpissimas voluntates & sceleratissimos actus formaliter quales pretio aestimare, & C. materialiter consideratos, & ex alii capitibus. N. Patet ex dictis.

Obj. 5. Specialiter de conditionibus repugnantibus justitiæ. Contractui, incho sub conditione repugnante justitiæ, non assistit justitia: ergo non est validus, neque obligat ex justitiâ. Prob. ant. Hujusmodi contractus non solum est injustus, sed incho directè, ut agatur contra justitiam; atqui justitia non assistit tali contractui, aliàs tenderet in propriam suam destructionem: ergo. Ita Daëman. R. N. ant. ad probat. D. minorem: justitia non assistit tali contractui, quæ parte est injustus, & contra justitiam tendit, C. quæ parte non est injustus, nec tendit contra justitiam, N. Porro, licet talis contractus, dum incho, & antequam ponatur conditio, sit injustus & contra justitiam tendat, & ideo pro tunc neminem obliget; posita tamen conditione, non est injustus, quin potius justitiæ consonum, ut operi merces promissa rependatur. Confirmatur: si post sententiam injustam promittas Judici 20. aureos, hæc promissio non est contra justitiam, & valet; atque in nostro casu, licet promissio quoad tempus antecedit sententiam injustam, tamen quoad efficaciam & obligationem absolutam ipsam sequitur; suspenditur enim obligatio ab eventu; sique ex illa parte nihil justitiæ contrarium continet.

Obj. 6. S. Th. q. 32. a. 7. o. dicit, id injustè acquiri, quod acquiritur ex opere turpi repugnante justitiæ. Ita Daëman. R. Ne id quidem somniasse S. Thomam. Equidem dicit loco citato, id, quod accipitur contra justitiam, esse injustè acquisitum, ut in simonia: at non dicit, id, quod accipitur pro opere, quod est contra justitiam, esse injustè acquisitum. Hæc enim duo valde differunt: opus potest

potest esse contra justitiam, & tamen acceptio pretii, quod pro illo datur, non esse contra justitiam: sicut opus potest esse contra castitatem, puta meretricium; & tamen acceptio pretii, quod pro illo datur, non est contra castitatem.

Obj. 7. S. Aug. Ep. 163. aliàs 34. ad Macedonium dicit: sceleratius vendi iudicia, quam justa; atqui invalidè venditur justum iudicium, & vendens tenetur reddere pretium acceptum: ergo a fortiori, si sit injustum. R. N. Conseq. Obligatio enim restituendi non oritur ex eo, quod aliquid sit sceleratum, aut sceleratius, sed ex violatione justitiæ. Porro multa sunt scelerata & sceleratissima, ut blasphemia, sacrilegium, perjurium &c. quibus non violatur justitia. Qui autem vendit justum iudicium, violat justitiam, quatenus 1. vendit id, quod jam emptori debet ex justitiâ. 2. Quia duplex accipit stipendium pro eodem iudicio. 3. Quia accipit ab invito, ut dicam infra: at nihil horum occurrit in venditione iustitiam; non enim illud aliunde jam debet emptori, non accipit pro illo duplex stipendium, cum iudex non accipiat a Republica stipendium pro violatione justitiæ; neque accipit ab invito. Unde Aug. cum dixisset, quod, qui justum iudicium emit, solet pecuniam datam repetere, quoniam venale esse non potuit, id non dicit de eo, qui emit injustum iudicium; quin potius contrarium innuit, dum dicit, volentem dedisse. Scienti autem & volenti non fit injuria.

Inst. Aug. ibid. infra dicit: *Quis tandem advocatur, aut ex advocato ita vir optimus facile reperitur, qui suscepto suo (clienti) dicat: recipe, quod mihi, cum malè tibi adessem, dedisti, & redde adversario tuo, quod me agente iniquè abstulisti? tamen, quem prioris non recte vitæ rectissime pavent, etiam hoc facere debet, ut si ille, qui iniquè litigavit, non vult admittens corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem*: ergo juxta S. Aug. advocatus tenetur restituere, quod acquisivit ex injusto patrocinio. R. S. Aug. intelligendum esse de Advocato, qui a clienti accepit rem ejus adversarii. Id indicant 1. hæc verba: *Et redde adversario tuo, quod me agente iniquè abstulisti*. 2. Hæc alia: *Ejus tamen (scilicet clientis) iniquitatis nolit iste (Advocatus) habere mercedem*. Porro stipendium Advocati injustè patrocinantis non est merces iniquitatis clientis, sed iniquitatis ipsius Advocati; res autem adversarii iniquè obventa est merces iniquitatis clientis. 3. Item & hæc alia verba, quæ immemorem, quod per furtum clanculum auferitur; & restituendum non est alienum, quod in ipso foro, ubi peccata puniuntur, decepto iudice & circumventis legibus obtinetur. Quæ sanè verba intelligi non possunt de stipendio, quod cliens ex propriis confert Advocato: hoc enim neque in foro, neque per deceptionem Judicis confertur, sed privatim: optinè vero intelliguntur de re ipsa adversarii, de qua litigatur, & quæ per sententiam injustam in foro obtinetur. Jam autem certum est, quod Advocatus injustè patrocinans, qui rem adversarii, aut partem in suum stipendium, aut alio injusto titulo accipit, debeat illam restituere.

ARTICULUS IX.

Utrum Contractus pro re, vel actione jam aliunde debita sit validus?

Res, seu actio potest esse debita proximo, vel ex justitiâ, vel ex alia virtute distincta à justitiâ, puta charitate, gratitudine, &c. sic v. gr. Judex debet ex justitiâ ferre justam sententiam, latro non furari (per actionem enim debitam ex justitiâ hic intelligitur etiam ommissio actionis injuste): sic quisque debet ex charitate succurrere proximo periclitanti. Quæstio est, utrum, si quis paciscatur de pretio pro tali re, vel actione debita, valeat pactum, & possit pretium retinere.

Dico. 1. Contractus de re, vel actione, alteri debita ex justitiâ, est nullus, ita ut pretium promissum, vel datum sit obnoxium restitutioni. Hæc conclusio est communis, & sequitur ex dictis art. 4. de Contractu ex metu, conclus. 1. Quidam illam probant ex eo, quod, qui promittit, aut dat pretium pro re sibi debita ex justitiâ, non spontè det, aut promittit, sed metu coactus ad redimendam injustam vexationem: at ea ratio probat duntaxat contractum esse irritabilem, sed non esse irritum, cum ea, quæ sunt ex metu, sint simpliciter voluntaria, ut jam loco cit. observavimus. Itaque aliunde prob. conclusio. Res alteri debita ex justitiâ est invendibilis, cum independentè ab omni pretio sit illi stricto jure debita, & quodammodo sua, & pro

Theol. Billuart. Secunda Secunda.

illa aliquid amplius exigere, vel accipere est manifestè violare æquitatem, non secus ac si meum equum furto sublatum mihi venderes: ergo.

Confirmatur: Promissarius, vel donatarius nullo titulo potest promissum pretium accipere, vel acceptum retinere, non ex pacto gratuito; quia ut suppono, non promitto, nec do liberalitè, sed tanquam pretium rei, quam non possum, aut saltem vereor me non posse aliter obtinere, & ad redimendam vexationem: non ex pacto oneroso; quia pactum onerosum, vel inducit obligationem utrumque, vel in eo datur aliquid utrumque: promissarius autem, seu donatarius neque contrahit novam obligationem, cum jam antea mihi debeat ex justitiâ hanc rem, neque dat aliquid ex suo, sed ex meo, seu mihi strictè debito: ergo.

Si dicas, quod promittendo vicissim hanc rem priori obligationi novam superaddat, ita ut si non stes promissis, non sohim injustus, sed & perditus habeatur. R. Hanc novam obligationem nullatenus mihi esse utilem, nisi ex ejus malitia quatenus non vult aliter, quam mediante pretio, prima satisfacere, proit stricto jure tenetur; sique semper est injustus, & ejus nova obligatio non est nisi pretio aestimabilis.

Hinc inferes, graviter peccare, & obnoxios esse restitutioni Judicem, qui exigit, aut accipit pretium pro ferenda justa sententia, Advocatos, & Procuratores, ut non protrahant iniquè causas. Item, qui res inventas, aut depositas reddere nolunt, nisi mediante pretio. Item, qui exigunt, aut accipiunt pretium, ut non occidant, non furentur, non detraherent, non prodant secretum, non ferant falsum testimonium, & similia, quæ debentur ex justitiâ.

Inferes 2. Id quoque esse verum, saltem probabilis, sive is, cui res debetur, contrahat, sive alter tertius in ejus favorem; quia etiam in hoc ultimo casu res debita ex justitiâ est invendibilis, & violaretur æqualitas, si aliquid amplius pro ea exigeretur, sive ab eo, cui debetur, sive ab altero.

Si dicas, promissarium, aut donatarium non teneri ex justitiâ hæc præstare in gratiam istius alterius contrahentis: ergo propter tale obsequium potest aliquid exigere. R. N. Conseq. 1. Quia, licet non teneatur ex justitiâ id facere in gratiam alterius, hoc ipso tamen quo facit, tenetur facere gratis, quia id, quod facit, facit aliunde ex justitiâ. 2. Quia quando res est secundum se invendibilis, etiam hoc obsequium est invendibile, nec habetur inter homines pretio dignum, sed ad summum amicitiam. Sic v. gr. non teneris ex justitiâ dare in mei gratiam mutuum, aut Beneficium Titio: si tamen des, teneris dare gratis; quia tam mutuum, quam Beneficium est invendibile.

Cæterum dicta intellige de eo, qui promittit, aut dat tanquam pretium quasi coactus ad redimendam vexationem; quia alter non vult, aut creditur non velle præstare, quæ debet ex justitiâ, nisi mediante pretio. Nam, si promitteret, aut daret omnino liberalitè ad alleviendam alterum ad ea, quæ aliunde debet, iste posset retinere, quia unusquisque lege non impeditur potest, cui voluerit, rei suæ transferre dominium: sic heri non raro dant famulis & ancillis aliquid ultra stipendium, ut diligenter invigilent rebus suis, quamvis ad hæc ex justitiâ teneantur famuli & ancillæ. Sic litigantes sæpe liberalitè offerunt munera Procuratoribus, Advocatis, Judicibus, ut causas non protrahant, eas studiose perpendant, & justum iudicium obtineant, quamvis ad hæc teneantur ex justitiâ Procuratores, Advocati, & Judices. Sed quantum ad Judices, licet, si sint sæculares, sive liberalitè oblata restituere non teneantur, peccant tamen; quia acceptatio munerum est ipsis prohibita: & si sint Ecclesiastici, jubentur per canones restituere, ut diximus, dum de iudice: require.

Dico 2. Contractus de re, vel actione pretio aestimabili debita ex alia virtute distincta à justitiâ est validus, sed illicitus. Est communior & probabilior. Ratio est; quia quamvis promissarius, aut donatarius ad hanc rem, vel actionem teneatur, non tenetur tamen ex justitiâ, nec est in altero jus strictum ad illam; unde pro tali jure, quod ipsi confert, potest aliquid exigere & accipere, sique accipiendo non violat justitiam, nec consequenter incurrit obligationem restituendi. Violat tamen charitatem, seu aliam virtutem, ex qua obligatur, quatenus ejus obligationi non vult satisfacere nisi mediante pretio, ostenditque animum vel aversum ab opere præcepto, vel inclinatum in opus prohibitorium: ego.

Si dicas: iste tenetur gratis facere: ergo non potest pretium accipere. R. D. ant. tenetur ex charitate, seu alia virtute distincta à justitiâ gratis facere, C. tenetur ex justitiâ gratis facere, N. unde violat quidem charitatem ex justitiâ gratis facere, N. unde violat quidem charitatem, aut aliam virtutem, sed non justitiam, sique non tenetur restituere.

See

Hinc

Hinc inferes, non esse obnoxios restitutioni, qui aliquid exigunt & accipiunt, ut vel aqvis, vel incendio, vel fame pereunt succurrant; ut fornicari, occidere, furari volentem impediunt: item, ut ipsimet non fornicentur, non inebrientur, non pejerent, non frequentent pernitiosa consortia, ut sint obedientes Parentibus, ut bene studeant, &c. quia in his & similibus non violant Justitiam. Peccant tamen, si ita sint affecti, ut nequidem ista præstarent, nisi interveniret pretium, ut dictum est. Quod si forent ita dispositi; ut ea præstarent, etiam non interveniret pretium, non peccant illud accipiendo, dum adest, qui potest & vult dare, quia hæc sunt pretio æstimabilia; & quamvis teneatur facere, non tamen semper tenentur facere gratis, nisi dum deest, qui possit & velit pretium dare. Patet in Medicis, Chirurgis, Advocatis, & similibus, qui tenentur ex charitate succurrere indigentibus, illi infirmis, isti litigantibus, & tamen licet accipiunt pretium, si sic qui velit dare.

Dixi: *de re, vel actione pretio æstimabili*; quia si res, vel actio non foret pretio æstimabilis, ut est spiritualis, v. gr. administratio, vel susceptio Sacramentorum, celebratio, vel auditio Missæ, contractus foret nullus; quia res est inventibilis, & pretium simoniacum: de quo, dum de simonia. Hæc tamen intellige, ut in prima conclusione, de contractu oneroso, & non gratuito. Quando autem res spiritualis non est promittenti, vel danti utilis, sed soli promissario, aut donatario, promissio, vel donatio censetur liberaliter & gratuito facta in stimulum, seu præmium virtutis; nemo enim censetur velle emere, quod sibi vix, aut ne vix est utile: undè, dum parentes promittunt, aut dant filiis aliquid, ut frequentent Sacramenta, ut audiant Missam, censetur liberaliter & consequenter valide donare, seu promittere.

ARTICULUS X.

Utrum Contractus, a Jure prohibitus, seu cui deest solemnitas, vel conditio a Jure requisita, sit invalidus?

Suppono ut certum, Legislatorem sive Civilem, sive Ecclesiasticum, posse ob justam causam, bonum commune spectantem, irritare contractus, qui alioquin, spectato solo Jure nature, essent validi, sive reddendo contrahentes inhabiles ad contrahendum, sicut inhabiles reddit affines & consanguineos ad matrimonium; sive præscribendo famam, aut solemnitatem, quæ pertinet ad substantiam contractus, aut sit conditio sine qua non sit validus: sit præscribit præsentiam Parochi & duplicis testis ad matrimonium. Suppono 2. Legem posse variis modis improbare contractum aliquem, seu actum. 1. Negativè, si nempe neque prohibeat, neque irritet, sed tantum non assistat, aut probet, & ideo intacta obligatione naturali denegat actionem in foro exteriori ad vitandam multitudinem litium. Sic improbantur contractus nudi, de quibus supra art. 1.

2. Si prohibeat tantum, & non irritet. Non enim hoc ipso, quo Lex prohibet contractum, sequitur semper quod ipsum irritet; quia prohibere & irritare diversa sunt & separabilia, ut patet in Lege prohibente negotiationem clericis, item in Lege prohibente matrimonium tempore interdicti, sine proclamationibus, aut post votum simplex continentie, & aliis: ergo unum ex altero colligi non potest, maxime in materia odiosa, qualis est hæc, quæ exten-

di non debet ultra proprietatem verborum. Undè Innoc. III. cap. *Ad Apostolicam Extra. de Regularibus* l. 3. tit. 31. dicit: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem.* Qua sanctione & exemplis positus, alique plurimis videtur derogatum Legi *Non dubium*, cap. *de Legibus* libr. 1. tit. 14. quæ decernit, omnem Legem prohibentem esse irritantem, licet Legislator prohibuerit tantum, & non expresserit irritationem. Alii tamen volunt, hanc Legem vigere in Provinciis Juris Cesarei, sed quoad forum externum tantum, ut dicam modo.

3. Si Lex irritet positivè contractum: & hoc dupliciter, vel civiliter tantum & quoad forum exterius, vel civiliter & naturaliter simul, seu quoad forum conscientie. Irritat civiliter tantum, quando, relicta obligatione naturali, nec imposita translatione domini, non solum denegat actionem in foro externo, sed etiam quandam Juris fictionem decernit posse, sive ad numm partis, sive per sententiam Judicis, irritari contractum, ac si ab initio fuisset nullus: sic irritatur contractus pupillorum & minorum ab absque consensu tutoris, vel curatoris, de quibus supra art. 5. conclus. 4. atque hoc sensu intelligendum esse Legem *Non dubium*, supra cit. notant Glossa marg. ibid. Layman, Suarez, & alii. Irritat civiliter & naturaliter contractum, quando ipso facto & ante omnem Judicis Sententiam sic irritat, ut nullus effectus, nulla obligatio, nequidem in conscientia, oriatur. Sic irritatur matrimonium clandestinum, vel metu gravi initum, vel cum alio impedimento dirimente; item professio Religiosa ante 16. annum ætatis completum, aut ante annum probationis; item contractus pupilli cum tutore initus, aut etiam cum aliis, circa bonorum immobilium alienationem, & alii.

Ex his sequitur, quid sit respondendum quæstioni, nimirum contractus Jure prohibitus, aut cui deest solemnitas, vel conditio a Jure requisita, quandoque esse validum, quandoque invalidum. Est validus, si lex tantum prohibeat, & forma, seu conditio, vel solemnitas, quæ præscribit, sit tantum accidentalitas. Est invalidus, si irritet, aut forma, quam præscribit, sit substantialis.

Sed jam petes, quandonam lex prohibeat tantum? quandonam prohibeat, simul & irritet? quandonam forma, solemnitas, aut conditio, quam præscribit, sit substantialis, quando accidentalitas? Item, quando irritet civiliter tantum, quando civiliter simul & naturaliter? R. Hæc discernere plerumque esse difficile: aliqui statuere regulas, sed ut observant alii, sunt deficientes. Equidem satis constat, quando lex expressè dicit contractum ipso jure, ipso facto esse nullum, irritum, invalidum, inutilem, nullius momenti, seu valoris, non obligare, & similia, esse legem irritantem; sed, quando simpliciter prohibet contractum nisi sub tali, vel tali forma, res est dubia. Imò & quando utitur prioribus terminis, remanet adhuc dubium, utrum sit irritans civiliter tantum, an etiam naturaliter, nisi adderet v. gr. esse irritum coram Deo, non parere obligationem naturalem, non posse debitum peti sive in judicio, sive extrà, acceptum in conscientia esse restituendum, & similia. Ad dubium ergo resolvendum quando subest, nihil commodius occurrit, quam attendere ad consuetudinem, ad modum, quo communiter lex recepta est, ad ejus materiam, & verba. Præcipua difficultas est de testamentis minus solemnibus, de quibus infra Dissert. seq. a. 3. §. 3. vide, illic enim magis decretorie resolvitur difficultas.

DISSERTATIO II.

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS,

SCILICET

DE PROMISSIONE, ET DONATIONE.

ARTICULUS I.

De Promissione.

§. I. Quid sit Promissio.

Deo: Promissio est liberalis, deliberata & spontanea fidei datio, seu obligatio exterius facta & acceptata de re possibili & licita.

Explicatur: Dicitur 1. *Liberalis*; quia hic non agimus de promissione onerosa, quæ in cæteris contractibus intervenire potest, sed de promissione merè gratuita absque ulla obligatione, vel onere ex parte promissarii. Dicitur 2. *Deliberata*, ea nempe deliberatione, quæ sit perfecta, & sufficiat ad peccatum mortale; ita quod, si fiat cum semiplena deliberatione, nullatenus obliget, nequidem sub veniali; quia, cum obligatio promissionis gratuita sit onus, quod

DE CONTRACTIBUS.

quod promittens suscipit spontè & liberaliter, non censetur illud suscipere, nisi perfectè consenserit. Dicitur 3. *Spontanea*, ut excludatur promissio ex quovis metu, etiam levi. Hoc ipso enim quo promittens inducitur ad promittendum ex metu etiam levi, non censetur liberaliter promittere, sique promissio non valet ut gratuita. Quantum ad promissionem ex errore, vide, quæ dixi Dissert. præced. art. 3. Dicitur 4. *Fidei datio, seu obligatio*; per quod distinguitur 1. a donatione, quæ non est fidei, sed rei datio. 2. A proposito simplici, quod nihil est aliud, quam simplex voluntas aliquid faciendi absque alia obligatione, quam ex virtute constantie, ita quod proponens aliquid dare, aut facere in gratiam alterius, non me constitutum debitorem illius, neque is habeat jus illud a me expectandi, aut exigendi tanquam sibi debitum; nec si omittat, possit me arguere de culpa, sed de inconstantia ad summum, quæ in propositis communibus & liberis vix aut ne vix culpam attingit. At promissio addit simplici voluntati vinculum morale, seu obligationem, sive veracitatis, quæ dicitur fidelitas, sive Justitiæ, ut explicabo infra; ita ut promittens aliquid alteri me constitutum ejus debitorem, isque habeat jus illud a me expectandi & exigendi tanquam sibi debitum; & si omittat, me possit arguere de culpa infidelitatis, vel injustitiæ.

Et quia vis obligandi non inest verbis independentè ab intentione, ut diximus Dissert. præced. art. 2. si quis utatur verbis promissoriis, ut *promitto, spondeo, polliceor, proestor*, & similibus, absque intentione verè promittendi & se obligandi, non est promissio, sed propositum; quo sensu penitentes dicunt in Tribunali se promittere emendam, & passim homines urbanitatis causa sibi invicem promittunt omnimoda obsequia: hæc inquam sunt proposita, non promissiones; quia non intendunt verè promittere & se obligare, sed significare dumtaxat presentem voluntatem & animi promptitudinem.

Sed quid, si quis intendat promittere, sed non se obligare? R. quod non est promissio; quia, cum hæc secunda intentio essentialiter repugnet promissioni, destruit primam; nisi fortè voluntas promittendi sit fortior voluntate non se obligandi; quod ordinariè non præsumitur, quia facile est promittere, velle autem se obligare quid grave.

Si verò intendat se obligare, sed non adimplere promissum, stat promissio; quia, sicut ipsa promissionis adimplentia non est requisita ad veram promissionem, ita nec voluntas adimplendi. Quid autem in dubio, an quis intendat, vel non se obligare? Dicam §. seq. Adverte tamen, quod, si quis absque intentione promittendi utatur verbis promissoriis, & in his circumstantiis, in quibus apparet exterius verè promittere, & inde promissarius decipitur cum suo damno, promittens teneatur damnum compensare, utpotè causa illius per suam fictionem. Confer, quæ dicam §. seq. conclus. 2.

Dices 5. *De re possibili & licita*; quia ad impossibile, aut illicitum non datur obligatio. Confer, quæ dixi Dissert. præced. art. 7. Conclus. 4. & art. 8. Nota tamen, promissionem quandoque esse illicitam quoad modum, sed de re licita, & tunc valere: v. gr. Puella promittit matrimonium inconsultis Parentibus, illicitè promittit, sed tamen valide secundum Jus commune, quia de re licita. Hac ratione quidam existimant, promissionem prodigam esse validam; sed mihi videtur disparitatem esse, quod promissio prodiga sit de objecto secundum se illicito, nempe de donatione prodiga; promissio autem matrimonii in casu sit de objecto secundum se licito, & tantum modus promittendi sit illicitus.

Dicitur 6. *exterius facta*; & idem dicendum est de donatione. Ita communiter post D. Th. (2. 2. q. 88. a. 1. o.) Sed difficultas est, utrum id requiratur, non solum Jure positivo, quod omnes supponunt, sed etiam Jure naturali? Et videtur esse mens D. Th. loco cit. ubi dicit: *Promissio, quæ ab homine fit homini, non potest fieri nisi per verba, vel quæcumque exteriora signa: Deo autem fieri potest promissio per solum interiorem cogitationem*; quia, ut dicitur 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quæ parent, sed Deus inuertet cor.* Quæ ratio petitur ex ipsa natura rei, quatenus homines inter se communicare non possunt, nisi per signa sensibilia. Undè

Prob. 1. Promissio, sive donatio est contractus; atqui contractus non peraguntur inter homines nisi per signa sensibilia: ergo. Prob. 2. Promissio merè interna non obligat, neque ex virtute fidelitatis, seu veracitatis, neque ex virtute Justitiæ. Non ex virtute fidelitatis, seu veracitatis, quia tenemur conformare facta dictis, cum hic non sint dicta, neque ex eo quod non servetur promissio interna, sequatur falsitas, aut infidelitas respectu hominis. *Theol. Billuart. Secunda Secunde.*

Non ex virtute Justitiæ, quia ad obligationem ex Justitia requiritur, quod jus acquiratur promissario, vel donatario ad rem promissam, vel donatam; atqui non potest acquiri, nisi per aliquid sensibile: ergo. Prob. Minor. 1. Jus illud est quid humanum in ordine ad alios homines, quo unus alteri præfertur in possessione, vel usu rei suæ; ergo non acquiritur nisi per aliquid sensibile. 2. Quia alioquin sequeretur, quod hoc ipso quo internè promitterem, aut donarem omnia bona mea Joanni, hoc ipso Joannes fieret dominus bonorum meorum, aut saltem jus haberet ad illa, & ego non possem amplius ullo modo de eis disponere; sique omnia jura forent incerta & continuis injustis obnoxia; quæ sunt absurda: ergo.

Dices 1. Jus, seu dominium rei potest amitti actu interno, quo quis non vult amplius habere rem in suis bonis: ergo potest etiam acquiri actu interno. R. N. Consequenter quia minus requiritur, ut res desinat esse, quam ut incipiat esse, & in alio producatur. Adde, quod ex cessatione interna nullum sequatur inconveniens, cum enim bonum derelictum sit primo capientis, qui illud dereliquit internè, potest adhuc capere, & de illo disponere.

Dices 2. Tota vis obligandi est ab interno actu: ergo is sufficit ad obligandum. R. D. Ant. Tota vis obligandi oritur ab actu interno radicaliter, C. formaliter actualiter, N. Requiritur enim ad obligationem actualem intimatio, saltem ut conditio, sine qua non: sic tota vis obligandi in Lege oritur ab intentione Legislatoris; ut tamen actualiter obliget, debet promulgari. Sicut ergo Lex non dum promulgata est directiva tantum, & non obligatoria, ita promissio interna est tantum directiva, & non obligatoria. Quamvis enim homo possit pro arbitrio se obligare, non tamen potest per quemcumque actum, si illi desit conditio requisita ad inducendam obligationem: sic v. gr. non potest per simplex propositum se obligare vinculo voti.

Dices 3. Promissio interna addit aliquid supra simplex propositum: ergo obligationem. R. Posset negari Ant. videtur enim promissio interna nihil aliud esse, quam propositum; sed hoc dato, distinguo Consequens. Addit obligationem radicalem & inchoatam, C. actualem & completam, N. Patet ex dictis.

Dicitur tandem *acceptata*; quod item debet intelligi de donatione. Est etiam communis; sed eadem difficultas ac ante, an id requiratur solo Jure positivo, an etiam naturali? Jure positivo requiritur, conveniunt omnes ex L. *Absenti* ff. *De Donat. l. Nec ambigi* 6. c. eod. l. *Multum* 6. c. *Si quis alteri* l. *Si Pater*. *De manumissis* l. *Qui absentis* 38. ff. *De acquirenda, vel amittenda possess.*

Verius videtur, requiri etiam Jure nature. 1. Quia promissio est contractus, contractus autem non perficitur nisi duorum consensu. 2. Quia promissio debet esse grati promissario: id autem sciri non potest, nisi per acceptance. 3. Per promissionem jus aliquod acquiritur promissario in rem promissam; atqui tale jus acquiri non potest nisi avolente, idque eo magis quod per illud incurrat obligationem gratitudinis, quam non nisi volens incurrare potest. 4. Quia promissio est fidei datio, quæ non potest esse sine suo correlativo, scilicet acceptance. 5. Tandem, quia in omni promissione subintelligitur hæc tacita conditio, *si placeat, si acceptetur*; nullus enim aliter promittit. Vides, has omnes rationes etiam militare pro donatione.

Sed numquid promittens, aut donans tenetur saltem promissionem, aut donationem indicare promissario, aut donatario? R. negativè; tùm quia id moribus Gentium non est receptum; tùm quia omnis sive promissio, sive donatio, utpotè contractus, est ex natura sua respectiva, ejus proinde tota vis & obligatio ex utriusque consensu tanquam a sui forma dependet, qua consequenter seclusa nulla est, & ad nihil obligat.

Dices: Promissiones, factæ Universitati, Ecclesie, Hospitali, vel Civitati ad instaurandas ejus ruinas, Jure positivo sunt valide absque acceptance: ergo. R. 1. Jus civile non tribuere vim obligandi his promissionibus, sed tantum prohibere, ne revocentur, donec innotescat promissario. 2. Dato, Jure civili esse validas, non tamen ante acceptance, si non ab homine, saltem a Jure.

Petes 1. Utrum hæc acceptatio debeat semper esse expressa? R. negativè, sed quandoque sufficere tacitam per silentium promissarii, aut donatarii; quia in re, in qua commodum, & nihil incommodi sequitur, habet locum hæc Regula Juris 43. in 6. *Qui tacet, consentire videtur*, si nempe ex circumstantiis contrarium non appareat; ut si tacetas, quia ex reverentia non audes recusare, aut quia rem despicias ut leviozem, vel si ex duobus promissis, aut donatis unum acceptes, & de altero sileas, silentium habe-